

oderit? Hinc temeraria et iniqua iudicia existunt, ira, invidiae, obtrectiones et alia ejusmodi, quibus illi quoque implicari solent, qui aut cognatione, aut amicitia, juncti sunt.

Nota. Itaque sepe fit ut ex uno peccato multa existant.

Odium est peccatum diabolicum.

XXXV. Neque injuria dicitur, hoc peccatum esse diaboli; quandoquidem (*a*) ipse ab initio homicida fuit. Quamobrem Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, cum sibi mortem Pharisei afferre cuperent, (*b*) illos a patre diabolo genitos esse dixit.

Remedia adversus odium.

XXXVI. Sed præter hæc quæ dicta sunt, unde sceleris hujs detestandi rationes peti possunt, alia quoque remedia, et ea profecto maxime opportuna, sanctorum Litterarum monumenta tradita sunt.

Primum. — Ac primum omnium remedium et maximum est Salvatoris nostri exemplum, quod ad imitandum nobis proponere debemus: is enim, cum ne minima quidem peccati suspicio in eum cadere posset, virgis cæsus, spinis coronatus et cruci denique affixus, eam habuit orationem plenissimam pietatis: (*c*) Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. (*d*) Cujus aspersiōnem sanguinis testatur Apostolus, melius loquentem quam Abel.

Secundum. — Alterum autem remedium ab Ecclesiastico propositum est, ut mortem atque illum iudicij diem recordemur: (*e*) Memorare, inquit ille, novissima tua, et in æternum non peccabis;

(*a*) Joan. 8, 44. — (*b*) Ibid. — (*c*) Luc. 23, 34. — (*d*) Hebr. 12, 24. — (*e*) Eccli. 7, 49.

quæ sententia eadem spectat ac si dicat: Illud sepe etiam atque etiam cogita, brevi fore, ut mortem obeas, proinde, quia tali tempore tibi optatissimum erit et maxime necessarium summam Dei misericordiam impetrare: eam tibi ob oculos jam nunc perpetuoque proponas necesse est; ita enim fiet ut immanis illa ulciscendi cupiditas tibi exhauriatur, cum ad misericordiam Dei implorandam nullum aptius majusve remedium invenias quam oblivionem injuriarum et amorem in eos qui te, aut tuos, re aut ratione violarint.

DE SEXTO PRÆCEPTO DECALOGI.

NON MÆCHABERIS.

Cur hoc ordine collocetur hoc præceptum.

I. Quoniam viri et uxoris vinculum arctissimum est, et nihil utrique jucundius accidere potest, quam intelligere se mutuo quodam et singulari amore diligi: contra nihil molestius quam sentire a se debitum et legitimum amorem alio transferri; recte quidem atque ordine illam, que hominis vitam a cede tuerit, legem hæc, que de mœchiis sive adulterio est, consequitur, ut sanctam illam et honorabilem matrimonii conjunctionem, unde magna charitatis vis existere solet, nemo ullo adulterii scelere violare aut dirimere audeat.

Cause explicandum est hoc præceptum.

II. Sed tamen in hac ipsa re explicanda cautus admodum sit parochus et prudens, et tectis verbis rem commemoret, quæ moderationem potius desiderat, quam orationis copiam; verendum est enim, ne, dum is late atque copiose nimis explicare studet quibus modis homines ab hujs legis

præscripto discedant, in illarum rerum sermonem forte incidat, unde excitanda libidinis potius materia, quam restinguenda illius ratio emanare solet.

Divisio præcepti.

III. Sed quoniam hoc præcepto multa continentur, quæ prætermittenda non sunt, ea suo loco explicabuntur a parochis.

Prior pars prohibens.

Ejus igitur duplex vis est: altera, qua disertis verbis adulterium vetatur. Vide 52, q. 4. c. *Meretrices*. Item *ibid.* *multa alia capita*. Item *Ambros.* de *Abraham*, c. 4. *Hieronim.* contra *Jovinianum* lib. 1 et lib. 2. Item in c. 5 *Epsit. ad Galat.* ad illa *verba: Manifesta autem*. Item in c. 5 ad *Ephes.* ad hæc *verba: Viri, diligite*. August. De *Bono conjug.* c. 16. et lib. 22, contra *Faustum*, c. 47, 48. Item in *qwest. Deut.* q. 17, ad c. 25. *Ieronim Amb.* in *serm. de S. Joan.* qui sic incipit: *Diximus superiore Dominica, et 65. Item Gregor. in Matt.* lib. 52, c. 21. *Divi Thom.* 1, 2, q. 100, a. 5, et 2, 2, q. 122, a. 6.

Altera pars præcipiens.

Altera, qua eam sententiam inclusam habet, ut animi corporisque castitatem colamus.

Quid sit adulterium.

IV. Ut autem ab eo quod prohibitum est, docendi initium sumatur: Adulterium est legitimiori injuria, sive alienus, sive proprius ille sit; etenim si maritus cum muliere soluta rem habet, suum ipse torum violat: si vero solutus vir alienam cognoscat uxorem, adulterii labo torus alienus inquinatur.

Hic omnis et impura libido prohibetur.

V. Hoc vero adulterii interdicto omnia prohiberi divus Ambrosius (a) et Augustinus (b) autores sunt quæcumque inhonestæ sunt et impudica.

Hoc præceptum confirmant Scripturæ.

VI. In hanc sententiam haec verba accipienda esse, ex sacris Litteris tum Veteris, tum Novi Testamenti licet colligere; nam præter adulterium, alia libidinis genera apud Moysen puniuntur. Est *Iuda* in *Genesi* (c) *judicium in nurum suam*. Est præclara illa in *Deuteronomio Moysis lex*, (d) ne de filiis Israel ulla esset meretrix. Exstat præterea *Tobie* ad *filium ejusmodi adhortatio*: (e) *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione. Ecclesiasticus item*: (f) *Eribescite, inquit, a respectu mulieris fornicariæ. In Evangelio etiam Christus Dominus inquit*: (g) *De corde exire adulteria et fornicationes quæ coquinuant hominem*. Apostolus vero Paulus hoc vitium sepe multis gravissimisque verbis detestatur: (h) *Hec est, ait, voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione*; et: (i) *Fugite fornicationem*; et: (j) *Ne commisceamini fornicariis*. (k) *Fornicatio autem, inquit, et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis*; et: (l) *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, regnum Dei possidentur*.

(a) *Amb.* lib. 1, de *Officiis*. c. 50 in fine. — (b) *Aug.* quæst. 71 super *Exod.* — (c) *Gen.* 38, 21. — (d) *Deut.* 25, 17. — (e) *Tob.* 4, 15. — (f) *Eccli.* 41, 25. — (g) *Math.* 13, 19. — (h) *1 Thess.* 4, 5. — (i) *1 Cor.* 6, 18. — (j) *Ibid.* 5, 9. — (k) *Eph.* 5, 5. — (l) *1 Cor.* 6, 9.

Cur adulterium prohibeatur præcipue.

VII. Præcipue vero ob eam rem adulterium diserte vetitum est, quia præter turpitudinem, quæ illi cum aliis intemperantie generibus communis est, iniquitas quoque peccatum non solum in proximum, sed etiam in civilem societatem adiunctum habet.

Est illud autem certum, qui se a ceterarum libidinum intemperantia non abstinet, eum ad hanc que adulterii est, incontinentiam facile labi.

Etiam intima animi libido hic prohibetur.

VIII. Quare hoc adulterii interdicto facile intellegimus omne impuritatis et impudicitiae genus quo polluitur corpus, prohiberi: imo vero omnem intimam animi libidinem hoc precepto vetitam esse, tum ipsius legis vis significat, quam spiritualem esse constat, tum Christus Dominus docuit illis verbis: (a) Audistis quia dictum est antiquis, Non moechaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscentiam eam, jam moechatus est eam in corde suo.

Observanda parochia.

IX. Haec sunt quæ fidelibus publice tradenda duximus, si tamen ea addantur, quæ a sancta Tridentina synodo (b) in adulteros et eos qui scorta et péllices alunt, decreta sunt: præmissis multis aliis, ac variis impudicitiae et libidinis generibus, de quibus privatum unusquisque a parochio admonendus erit, ut temporis et personarum ratio postulabit.

(a) Matth, 5, 27, 28. — (b) Sess. 24. de Reform,

*PARS TERTIA.**Castitas unicuique pro suo statu servanda.*

X. Sequitur nunc, ut ea explicitur quæ jubendi vim habent. Docendi igitur sunt fideles, ac vehementer hortandi, ut pudicitiam et continentiam omni studio colant, (a) mudentque se ab omni inquinamento carnis et spiritus, perientes sanctificationem in timore Dei.

In primis autem admonendi sunt, quamvis castitatis virtus in eorum hominum genere magis elueat, qui pulcherrimum illud ac plane divinum virginitatis propositum sancte et religiose colunt, tamen iis etiam convenire, qui vel cælibem vitam agunt, vel matrimonio juncti, a vetita libidine puros se et integros servant.

Remedia paranda adversus libidines.

XI. Quoniam vero multa a sanctis (b) Patribus tradita sunt quibus docemur domitas habere libidines, et coercere voluptates, ea parochus studeat populo accurate expondere, atque in hac tradiione diligentissime versetur.

Remedia contra cogitationes impuras.

XII. Haec autem ejusmodi sunt, partim quæ in cogitatione consistunt, partim quæ in actione. Quod in cogitatione remedium positum est, id in ea maxime versatur, ut intelligamus.

Primum. — Quanta sit hujus peccati turpitudine et perniciens: quæ cognita, facilior fiet ejus detectandi ratio; perniciosum vero scelus esse, intelligi ex eo potest, quoniam propter hoc peccatum e Dei regno pelluntur atque exterminantur homines: quod malorum omnium ultimum est,

Secundum. — Et haec quidem calamitas omnium

(a) 2 Cor. 7, 1. — (b) Vide D. Thom, 2, 2, q. 151. Trid. sess. 24. de Matrim. c. 5, et sess. 25, de Regular.

scelerum communis est: illud autem hujus peccati proprium, quod qui fornicantur, in sua ipsi corpora peccare dicuntur, ex sententia Apostoli ita scribentis: (a) Fugite fornicationem; omne enim peccatum quocumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat; quod ob eam causam dictum est, quoniam illud injuriose tractat, cum ejus violat sanctitatem. Qua de re Thessalonicenses ita divus Paulus: (b) Haec est, inquit, voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes que ignorant Deum.

Tertium. — Deinde in quod scelus est, si homo christianus meretrici turpiter se dedat, membra, que Christi sunt, ea meretricis facit; ita enim divus Paulus ait: (c) Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit: an nescitis quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur?

Quartum. — Est præterea homo christianus, ut idem testatur, (d) templum Spiritus sancti: quod violare nihil aliud est, nisi ab eo Spiritum sanctum ejicere.

Adulterii gravis iniustitia.

XIII. In adulterii autem scelere magna inest iniquitas: si enim, ut vult Apostolus, qui matrimonio juncti sunt, ita eorum alterius potestati mancipatus est, ut (e) neuter sui corporis potestatem jusque habeat, sed mutuo quodam sint inter se quasi servitus vinculo ita devincti,

(a) 1 Cor. 6, 18. — (b) 1 Thess. 4, 3. — (c) 2 Cor. 6, 15.
— (d) 1 Cor. 6, 19. — (e) Ibid. 7, 4.

ut vir ad uxoris voluntatem, contraque uxor ad viri nutum voluntatemque se accommodare debeat; certe si alteruter corpus suum, quod est alieni juris, ab eo cui illud adstrictum est, disjungit, is admundum iniquus est et nefarius.

Adulterii turpitudine insignis.

XIV. Et quoniam infamia metus et ad ea quæ jussa sunt, vehementer incitat homines, et a veritate magnopere deterret, docebit parochus adulterium hominibus insignem turpitudinem notam inure. Nam sacris Litteris ita proditum est: (a) Qui adulter est, propter cordis inopiaem, perdet animam suam: turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur.

Adullerorum supplicium.

XV. Verum hujus sceleris magnitudo ex supplici severitate facile perspicere potest; adulteri enim, lege a Domino in Veteri Testamento prescripta, (b) obruebantur lapidibus; quin etiam ob unus libidinem, non solum qui scelus admisit, sed universa interdum civitas, ut de Sichimitis (c) legimus, deleta est.

Puniti adulterii exemplum.

XVI. Multa divine animadversionis exempla in sacris Litteris prodita sunt, que ad deterrendos a nefaria libidine homines parochus colligere poterit, ut Sodoma, (d) et reliquarum finitimarum urbium interitus; (e) Israelitearum qui fornicati sunt cum filiabus Moab in deserto supplicium; (f) Benjamitarum deletio.

(a) Prov. 6, 52. — (b) Lev. 20, 10. Joan. 8, 5. — (c) Gen. 31, 25. — (d) Ibid. 19, 24. — (e) Num. 25, 4. — (f) Iudic. 20.

Adulteri excaecantur, et ad omnia inepti sunt.

XVII. Qui vero mortem effugunt, intolerabiles tamen dolores ac paenarum cruciatus, quibus sepe plectuntur, non effugiunt. Nam mente ceci, quæ poena gravissima est, ita fiunt, ut neque Dei, neque famæ, neque dignitatis, neque filiorum deinceps, vitaque sua rationem habeant, hocque pacto adeo nequam et inutiles fiunt, ut nihil grave committi eis debeat, et ad nullum fere officii munus idonei sint.

Exempla. — Hujus rei exempla a Davide et Salomon petere nobis licet: quorum alter (*a*) postquam adulteratus est, repente sui dissimillimus, ex mitissimo crudelis exstitit, ut Uriam optime de se meritum morti obtulerit; alter (*b*) cum se totum in mulierum libidinem profudisset, ita a vera Dei religione sese avertit, ut alienos deos sequeretur. Aufert igitur, ut Oseas dixit, (*c*) hoc peccatum cor hominis saepe obcœcat.

do Infra libro additum. Antidota libidinis.

XVIII. Nunc ad ea remedia veniamus quæ in actione consistunt.

Primum. — Quorum primum illud est, ut otium maxime fugiamus: in quo Sodomites homines, ut est apud Ezechiem, (*d*) cum hebescerent, in spureissimum illud nefarie libidinis scelus precipites lapsi sunt.

Secundum. — Deinde crapula magnopere est vintanda. Saturavi eos, inquit Propheta (*e*), et mechati sunt: quoniam venter expletus ac saturatus libidinem parit, hoc ipsum illis verbis Dominus

(*a*) 2 Reg. 11, 12. — (*b*) 5 Reg. 11, 4, 5. (*c*) — Ose. 4, 11. — (*d*) Ezech. 16. — (*e*) Jer. 5, 7.

significavit: (*a*) Attende vobis, ne forte gravenetur corda vestra in crapula et ebrietate. Hoc item Apostolus: (*b*) Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria.

Tertium. — Sed maxime animus ad libidinem oculis inflammari solet, quo pertinet illa Christi Domini sententia: (*c*) Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te. Multa præterea sunt prophetarum de eadem re voces, ut est apud Job: (*d*) Pepigi fedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Sunt multa deinceps, ac pene innumerabilia exempla malorum, quæ ex oculorum aspectu ortum habuerunt: sic (*e*) David, sic rex Sichem (*f*) peccavit: hocque item pacto senes (*g*) illi Susannaë calumniatores deliquerunt.

Quartum. — Elegantior item ornatus, quo oculorum sensus valde excitatur, occasionem libidini non parvam sœpe præbet: ideoque Ecclesiasticus monet: (*h*) Averte faciem tuam a muliere compita.

Notet pastor.

Cum igitur mulieres in nimio ornatus studio versentur, non alienum erit, si parochus aliquam in eo diligenter adhibeat, ut eas interdum moneat, objurgetque verbis, quæ hoc de genere gravissima Apostolus Petrus ita protulit (*i*): Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Divus Paulus item: (*j*) Non in tortis, inquit, crimibus, aut auro, aut margaritis, vel ueste pretiosa: multæ enim auro et margaritis ador-

(*a*) Luc. 21, 34. — (*b*) Eph. 5, 18. — (*c*) Matth. 5, 29. — (*d*) Job. 5, 1. — (*e*) 1 Reg. 11, 1. — (*f*) Gen. 54, 2. — (*g*) Dan. 13, 8. — (*h*) Eccl. 8, 9. — (*i*) 1 Pet. 5, 5. — (*j*) Tim. 2, 9.

natae, ornamenta mentis et corporis perdiderunt.
Quintum. — Hoc autem libidinis incitamentum, quod e vestium exquisito ornato existere solet, alterum sequitur, quod est turpis obsceneque sermonis: nam verborum obscenitate, quasi face quadam subiecta, adolescentum accenduntur animi: (a) Corrumptunt enim mores bonos colloquia mala, inquit Apostolus: hocque ipsum cum maxime efficiant delicatores et moliores cantus ac saltationes, ab iis quoque diligenter cavadum est.

Sextum. — Quo in genere numerantur item libri obscene et amorarie scripti: qui ita vitandi sunt, ut imagines, que aliquam turpidissimam speciem praeferunt; cum ad turpes rerum illecebros, inflammandosque adolescentum animos vis in illis sit maxima. Sed parochus in primis curat ut, qua de iis a sacrosanto Tridentino concilio (b) pie religiose constituta sunt, ea sanctissime serventur.

Septimum. Octavum. Nonum. Decimum. Undecimum. — Haec vero omnia, que commemorata jam sunt, si magno exhibito studio, curaque intentur, omnis fere libidinis materia tollitur, sed ad illius vim opprimendam maxime valent frequens confessionis et Eucharistiae usus: tum assidue ac pice quidem ad Deum preces, cum eleemosynis atque jejunio conjuncte.

Castitatem dat Deus petentibus.

XIX. Est enim castitas (c) donum Dei, quod recte petentibus non denegat; (d) nec patitur nos tentari supra id quod possumus.

(a) 1 Cor. 15, 33. — (b) Sess. 25. decreto de Invocat. et Vener. sacriss imagin. — (c) 1 Cor. 7, 7, ibid. 10, 15. — (d) Vide Tertull. de Monog. in fine, Nazian. orat. 5. Basil.

Alia antidota

XX. Corpus autem non jejuniis modo et iis praesertim, que sancta Ecclesia instituit, sed vigiliis etiam, priis peregrinationibus, atque aliis afflictationum generibus exercendum est, sensuumque appetitiones reprimenda; in iis enim atque aliis ejusmodi rebus maxime cernitur temperantiae virtus: in quam sententiam ad Corinthios italicus Paulus scribit: (a) Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibile coronam accipiant, nos autem incorruptam; et paulo post: Castigo, inquit, corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis predicaverim, ipse reprobis officiar. Et alio loco: (b) Carnis curam ne feceritis in desideriis.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

NON FURUM FACIES.

Vetus Ecclesiæ mos hoc præceptum inculcandi.

I. Veterum hunc Ecclesiæ morem fuisse, ut hucus præcepti vis et ratio inculcaretur auditoribus, indicat illa apud Apostolum objurgatio eorum qui ceteros ab iis vitiis maxime deterrenerant, quibus ipsi cumulati reperiebantur: Qui enim, inquit, (c) alium doces, te ipsum non doceas? Qui prædictas non furandum, furaris?

Istius moris utilitas.

II. Quo doctrinæ bono non solum frequens illorum temporum peccatum corrigeant, sed etiam turbas ac lites sedabant, aliasque malorum causas, que furto commoveri solent.

de Virg. ultra medium. Chrysost. et Hieron, in c. 16, Matth. August. libro 6 Confess. c. 11.

(a) 1 Cor. 9, 25. — (b) Rom. 13, 14. — (c) Ibid. 2, 24.

Parochorum officia hac in parte.

III. In iis delictis, et delictorum incommodis atque calamitatibus cum nostra etiam haec acta misere versetur, ad exemplum sanctorum Patrum et christiane disciplinae magistrorum, parochi hunc urgebunt locum, et assidue ac diligenter hujus precepti vim ac sententiam explicabunt.

Amor Dei in nos quantum hinc elueat.

IV. Ac primum officium et diligentiam suam conteret ad declarandum Dei infinitum amorem erga genus humanum, qui non modo illis duobus interdictis: Non occides, non moechaberis, quasi praesidiis et vitam, corpusque nostrum, et famam, existimationemque tueatur: sed etiam hoc praecepto: Non furtum facies, tanquam custodia quadam externas res ac facultates muniat atque defendat: quam enim haec verba subjectam habent notionem, nisi eam, quam supra diximus, cum de aliis praeceptis loqueremur? vetare vide licet Deum, bona haec nostra, que in ejus tutela sunt a quoquam auferri aut violari. *Vid. D. Thom. 1, 2, q. 100, art. 3, et 2, 2, q. 122, art. 6.*

Quam libenter huic praecepto obediendum.

V. Quod divinae legis beneficium quo maius est, eo nos in ipsius beneficio auctorem Deum gratiores esse oportet. Et quoniam et habenda et referenda gratiae nobis optima ratio proposita est, ut non tantum praecepta libenter auribus accipiamus, sed etiam re ipsa probemus, ad hoc colendum praecepti officium fideles excitandi et inflammandi sunt.

Duas in partes dividitur hoc praeceptum.

VI. Est autem hoc praeceptum, quemadmodum superiora, divisum in duas partes, quarum altera

quæ furtum vetat, aperte est enuntiata alterius sententia et vis, qua jubemur benigni et liberales esse in proximos, in priore occulta est et involuta. De priore igitur, prius dicetur: Non furtum facies.

Quid hic per furtum intelligatur.

VII. In quo illud animadvertisendum est, *furti* nomine non id modo intelligi, cum occulte ab in-vito domino aliquid auferatur: sed etiam cum aliquid alienum contra voluntatem scientis domini possidetur, nisi forte existimandum est eum, qui furtum prohibeat, rapinas factas per viam et injuriarum non improbare; cum exstet illud Apostoli: (a) Rapaces regnum Dei non possidebunt: quorum omnem rationem et consuetudinem fugiendam esse idem scribit Apostolus. *Vide August. q. 71, in Exod. et citatur 32, q. 4, c. Meretrices.*

Rapina furto est deterior.

VIII. Quanquam vero majus peccatum (b) rapine sint, quam furtum; quia præter rem, quem aliqui adimunt, præterea vim afferunt, et majorum imponunt ignominiam. *Vide divum Thom. 2, 66, art. 4 et 9. Item 14, q. 4, c. Pœnale.*

Nomen furti cur hic usurpatur.

IX. Mirandum tamen non est, quod leviori hoc *furti* nomine notatum sit divinae legis præceptum, non rapina: id enim summa ratione factum est, quia furtum latius patet et ad plura pertinet, quam rapina, quas tantummodo illi facere possunt, qui potentia et viribus præstant.

Nota. Quanquam nemo non videt, exclusis etiis generis levioribus peccatis, graviora etiam facinora prohiberi.

(a) Cor. 6, 10. — (b) Ibid. 5, 10.

552 CATECHISMUS CONCILII TRIDENTINI.

Variae furti species.

X. Variis autem nominibus notatur injusta possessio et usus rerum alienarum, ex varietate eorum, quæ, et invitis et insciis dominis, auferruntur.

Furtum.

Nam si privatum quid privato admittitur, *furtum* dicitur.

Peculatus.

Si surripitur publico, *peculatus* appellatur.

Plagiatum.

Plagiatum vocant, si homo liber vel servus alienus in servitute adducitur.

Sacilegium.

Si vero sacra res eripitur, nominatur *sacilegium*; quod facinus maxime nefarium ac scelustum adeo in mores inductum est, ut bona quæ necessario et sacrorum cultui, et Ecclesie ministris et pauperum usi pie ac sapienter fuerant attributa, in privatas cupiditates perniciosaque libidines convertantur.

Furandi voluntas prohibetur.

XI. Sed præter ipsum furtum, id est externam actionem iurandi, etiam animus et voluntas Dei lege prohibetur.

Nota. Est enim spiritualis lex, quæ animum, fontem cogitationum et consiliorum, inspicit. De corde enim, inquit Dominus apud sanctum Mattheum, (a) exenti cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia,

(a) Matt. 15, 19.

PARS TERTIA.

Furtum est grave scelus.

XII. Sed quam grave scelus furtum sit, ipsa naturæ vis et ratio satis ostendit: est enim iustitia contrarium quæ suum cuique tribuit. Nam bonorum distributiones et assignationes, jam inde ab initio, iure gentium constitutas, divinis etiam et humanis legibus confirmatas, ratas esse oportet, ut unusquisque, nisi humanam societatem tollere velimus, ea teneat, quæ ei iure obtingerunt; nam, ut Apostolus ait: (a) Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.

Mala quæ furtum sequuntur.

XIII. Etsi hujus sceleris importunitatem et immanitatem permulta declarant, quæ furtum consequuntur.

Fiunt enim judicia temere et inconsulto, multa de multis.

Erumpunt odia.

Suscipiuntur inimicitiae.

Existunt interdum acerbissimæ innocentium hominum damnationes.

Restitutio facienda necessario.

XIV. Quid dicemus de ea necessitate, quæ divinitus imposita est omnibus satisfaciendi ei, cui aliquid ademptum sit? Non enim, inquit Augustinus, remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. *Epist. 54.*

Restitutio facili difficultis.

XV. Quæ restitutio, cum quis assueverit ex alienis locupletari, quantam habeat difficultatem, præter id, quod unusquisque et ex aliorum con-

(a) 1 Cor. 6, 10.

suetudine, et de suo sensu judicare potest, ex testimonio Habacuc propheta licet intelligere: inquit enim: (a) Vnde ei qui multiplicat non sua usquequo et aggravat contra se densum lumen.

Nota. Lumen appellat densum, rerum alienarum possessionem, unde emergere et expedire se homines difficile possint.

Furtorum multa sunt genera.

XVI. Furtorum autem tam multa sunt genera, ut ea dinumerare sit difficillimum: quare de his duobus, furto et rapinis, dixisse satis erit; ad quam tanquam ad caput, reliqua, quam dicemus, referuntur. Ad ea igitur detestanda et ad fidem populum a scelesto facinore deterrendum, conferent omnem curam ac diligentiam parochi.

Furtum faciunt.

XVII. Verum hujus generis portes persecutur.

Primo. — Sunt igitur fures etiam, qui furto sublatas res emunt, vel aliquo modo inventas, occupatas aut ademptas retinent: ait enim sanctus Augustinus: (b) Si invenisti et non reddidisti, rapisti.

Nota. Quod si rerum dominus nulla ratione inveneri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda.

Nota. Quia ut restituat, qui adduci non potest, ea re facile probat, se undique ablaturum omnia, si possit.

Secundo. — Eodem se alligant scelere, qui in emendis vendendisque rebus fraudes adhibent

(a) Habac. 1, 6. — (b) Lib. 50, Hom. Hom. 9, et de rebus. Apost. serm. 19.

et vanitatem orationis; horum fraudes vindicabit Dominus.

Nota. Graviores et iniquiores in hoc furtorum genere sunt ii, qui fallaces et corruptas merces vendunt pro veris et integris: quive pondere, mensura, numero ac regula decipiunt emptores; est enim in Deuteronomio: (a) Non habebis in sacculo diversa pondera; et in Levitico: (b) Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura: statera justa et æqua sint pondera, justus modius æquusque sextarius. Est et alio loco: (c) Abominatio est apud Dominum pondus, et pondus; statera dolosa non est bona.

Tertio. — Furtum etiam apertum est operario-rum et artificum, qui totam et integrum mercedem exigunt ab iis quibus ipsi justam ac debitam operam non dederunt.

Quarto. — Nec vero distinguuntur a furibus servi dominorum, rerumque custodes insidi, quin etiam eo sunt detestabiliores quam reliqui fures, qui clavibus excluduntur, quod furaci servo nihil domi obsignatum aut oclusum esse potest.

Quinto. — Furtum præterea facere videntur, qui fictis simulatisque verbis, quive fallaci mendicante pecuniam extorquent, quorum eo gravius est peccatum, quod furtum mendacio cumulant.

Sexto. — Illi quoque in furum numero repoenendi sunt qui cum ad privatum aliquod, vel publicum officium conducti sunt, nullam vel parvam operam nayantes, munus negligunt, mercede tantum ac pretio fruuntur.

Septimo. — Reliquam furtorum multitudinem, a solerti avaritia, quæ omnes pecuniae vias novit, excoxitatam, persequi longum est, et ut dixi

(a) Deut 25, 12. — (b) Lev 19, 35. — (c) Prov 20, 23

mus, difficillimum; itaque de rapinis, quod est alterum horum scelerum caput, dicendum videtur.

Nota. Si prius monuerit parochus christianum populum, ut meminerit illius Apostoli sententiae: (a) Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli. Nec ullo sibi loco patitur excidere praeceptum hoc: (b) Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: et illud cogitent perpetuo: (c) Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.

XVIII. *Prima rapinæ species.* — Rapinæ igitur patient latius. Nam qui debitam operarii incedem non persolvunt, sunt rapaces, quos sanctus Jacobus ad penitentiam invitat illis verbis: (d) Agite nunc, divites, plorate ululant in misericordia vestris, quæ advenient vobis: cuius penitentia causam subjungit: Ecce enim merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit; quod genus rapinarum in (e) Levitico, in (f) Deuteronomio, apud (g) Malachiam et apud (h) Tobiam vehementer improbat.

Secunda. — In hoc crimine rapacitatis includuntur qui, qua Ecclesiæ præsidibus et magistratibus debentur vestigalia, tributa, decimas et reliqua hujus generis non dissolvunt, vel intervertunt, et ad se transferunt.

Tertia. — Huc etiam referuntur feneratores in rapinis acerrimi et acerbissimi, qui miseram plementem compilant ac trucidant usuris.

(a) 1 Tim. 6, 9. — (b) Matth. 7, 12. — (c) Tob. 4, 16. —
(d) Jac. 5, 4. — (e) Lev. 19, 15. — (f) Deut. 24, 14. — (g)
Mal. 5, 5. — (h) Tob. 4, 15.

Usura quid sit.

XIX. Est autem usura, quidquid præter sortem et caput illud quod datum est, accipitur, sive pecunia sit, sive quidvis aliud, quod emi aut estimari possit pecunia: sic enim apud Exechielum scriptum est: (a) Usuram et superabundantiam non accepteris; et Dominus apud Lucam: (b) Mutuum date, nihil inde sperantes.

Usura facinus odiosum.

XX. Gravissimum semper fuit hoc facinus etiam apud gentes et maxime odiosum. Hinc illud: quid fenerari? quid hominem, inquit, occidere? Nam quifenerantur, bis idem vendunt, autid vendunt quod non est. *De Usura*, vide 14, quest. 1, et quest. 4, passim. Vide item titulum de Usuris in *Decretibus et divi Thomæ* 2, 2, quest. 78. Item *Ambrosium, libro de Tobia*, c. 14.

Quarta rapinæ species. — Item rapinas faciunt munimarii judices, qui venalia habent judicia, et pretio munericibusque deliniti optimas tenuiorum et egentium causas evertunt.

Quinta. — Fraudatores creditorum et inficiatores, quicunque sumpto temporis spatio ad solvendum, sua vel aliena fide merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem crimine rapinarum, quorum etiam delictum gravius est, quod mercatores, illorum destitutioonis ac fraudationis occasione, magno detrimento civitatis vendunt omnia carius; in quos illa Davidis sententia videtur convenire: (c) Mutuabitur peccator et non solvet.

Sexta. — Quid de locupletibus dicemus iis, qui ab illis qui solvendo non sunt, quod commodaunt, exigunt acerbius et pignora etiam ea aufe-

(a) Ezech. 18, 8. — (b) Luc. 6, 35. — (c) Ps. 56, 21.

runt contra Dei interdictum, quæ ad eorum corpus tuendum sunt necessaria? inquit enim Deus : (a) Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddas ei: ipsum enim est solum quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat : si clamaverit ad me, exaudiā eum, quia misericors sum. Horum exactionis acerbitatem jure pacatatem, atque adeo rapinas appellabimus. *Titulum habes de Pignore in Decretal. lib. 5. ut tit. 21. Vide Amb. lib. 5 de Offic. c. 6.*

Septima. — Ex numero eorum, qui raptore dicuntur a sanctis Patribus, sunt qui in frugum inopia comprimunt frumentum, faciuntque ut sua culpa carior, ac durior sit annona : quod etiam valet in rebus omnibus ad victimum et ad vitam necessariis, ad quos illa Salomonis pertinet exsecratio : (b) Qui abscondit frumenta maledicetur in populis. Quos, suorum scelerum admonitos, parochi liberius accusabunt, ac propositas illis peccatis penas explicabunt uberioris.

De restituzione.

XXI. Hæc de vetitis : nunc ad jussa veniamus in quibus satisfactio, vel restitutio primum locum habet; peccatum enim non remittitur, nisi restituatur ablatum.

Qui restituere teneantur.

XXII. Sed, quoniam non is solum, qui furtum fecit, ei cui furatus est id debet restituere; sed omnes præterea, qui furti participes fuerunt, hac lege restitutionis tenentur, aperiendum est, qui sint illi, qui hanc satisfaciendi vel restituendi necessitatem esfugere non possint.

(a) Exod. 22, 26. — (b) Prov. 11, 26.

Primo imperantes. — Sunt autem plura hominum genera, ac primum est eorum qui furari impenit: qui non modo sunt ipsi furtorum socii et auctores; sed etiam in illo furum genere deterrimi.

Secundo, suasores. — Alterum genus par voluntate primis, potestate dispar, in eodem tamen furum gradu ponendum eorum qui, cum jubere non possint, suasores sunt atque impulsores furorum.

Tertio, consentientes. — Tertium genus est eorum qui cum furibus consentiunt.

Quarto, participes. — Quartum genus est eorum qui participes furtorum, inde lucrum ipsi etiam faciunt, si lucrum dicendum est, quod nisi respuerint, eos addicet aeternis cruciatibus; de quibus sic loquitur David : (a) Si videbas furem, curberas cum eo.

Quinto, non prohibentes. — Quintum genus est furum, qui cum farta possint prohibere, tantum abest ut illis occurrant et obsistant, ut eorum licentiam permittant atque concedant.

Sexto, non indicantes. — Sextum genus est eorum qui cum et furtum factum, et ubi factum sit, certo scient, et non indicant rem, sed eam se scire dissimulant.

Septimo, custodes furti. — Postremum genus est, quod omnes complectitur furtorum adjutores, custodes, patronos, quique illis receptaculum præbent, ac domicilium; qui omnes et satisfacere debent iis, quibus aliquid detractum est, et ad illud necessarium officium vehementer cohortandi sunt.

Octavo. — Ne hujus quidem sceleris omnino

(a) Ps. 49, 18.

sunt expertes approbatores furtorum et laudatores.

Nono. — Nec vero etiam ab eadem culpa sunt alieni filiifamilias et uxores, qui pecunias a patribus et viris surripunt.

De operibus misericordiz.

XXIII. Jam vero huic praecepto illa subjecta sententia est, ut pauperum et inopum miseremur, eorumque difficultates et angustias nostris facultatibus et officiis sublevemus; quod argumentum, quia sepiissime et copiosissime tractandum est, petent ea parochi ex virorum sanctissimorum (a) Cypriani, (b) Joannis Chrysostomi, (c) Gregorii Nazianzeni et aliorum libris, qui de eleemosyna praclare scripserunt, et quibus huic muneri satisfacant.

Motiva ad suadenda opera misericordiz.

XXIV. Sunt enim inflammanti fideles ad studium et alacritatem opitulandi iis, quibus aliena misericordia vivendum est.

Primum. — Sunt vero etiam docendi quantam habeat necessitatem eleemosyna, ut videlicet re et opera nostra in gentes simus liberales, verissimo illo argumento quod summo iudicii die de testaturus sit eos Deus, et semipinternis ignibus addicturus, qui eleemosyna officia pratermissereint ac neglexerint: illos autem collaudatos in patriam celestem introducturus, qui benigne fecerint indigentibus. Est utraque Christi Domini

(a) Cyp. lib. de Opera et Eleemosyn. — (b) Chrysos. hom. 52 ad popul. Antiochen. et hom. 55 et 54, in Matth. Vide etiam hom. 16, 57, ad popul. Antiochen. — (c) Nazianz. orat. de Pauperum amore. August. sermon. 50, et 227 de Tempore, item hom. 18, 19, 28, 45.

ore pronuntiata sententia: (a) Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum; et: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum.

Secundum. — Utentur praterea sacerdotes accommodatis illis ad persuadendum locis: (b) Date, et dabitur vobis.

Tertium. — Proferent Dei promissum, quo nihil uberior, nihil magnificientius ne cogitari quidem potest. (c) Nemo est, qui reliquerit, etc.; qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, et in seculo futuro vitam aeternam.

Quartum. — Adjicent illud quod a Christo Domino dictum est: (d) Facite vobis amicos de mammom iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipient vos in aeterna tabernacula.

Mutuo dandum est gratis.

XXV. Hujus vero necessarii munieris partes exponent, ut qui largiri non possunt egentibus, quo vitam sustentent, saltem commodent pauperi, juxta Christi Domini prescriptum: (e) Mutuum date, nihil inde sperantes. Atque hujus rei felicitatem beatus David expressit: (f) Jucundus homo, qui miseretur et commodat.

Ad subveniendum pauperibus laborandum est.

XXVI. Est autem christiana pietatis, nisi sit aliunde facultas bene merendi de iis, quibus ad victim aliena misericordia opus est, vitandi etiam otii causa, labore, opera, ac manibus ea querere, quibus inopum indigentiam levare possint. Ad id omnes suo exemplohortatur in Epistola ad Thessalonicenses Apostolus illis verbis: (g) Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos.

(a) Matth. 25, 41. — (b) Luc. 6, 38. — (c) Marc. 10, 29. — (d) Luc. 16, 9. — (e) Id. 6, 35. — (f) Ps. 111, 5. — (g) 2 Thess. 3, 7.

Item ad eosdem : (a) Operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis et operemini manibus vestris, sicut praeceperimus vobis. Et ad Ephesios : (b) Qui surabatur, jam non furetur; magis autem laboret operando manibus quod bonum est, ut habeat unde tributat necessitatem patienti.

Frugaliter vivendum.

XXVII. Est etiam frugalitati consulendum, parcendumque bonis alienis, ne cæteris graves, aut molesti simus, que temperantia sane quam elucet in omnibus Apostolis, sed maxime eminet in divo Paulo, cuius illud est ad Thessalonicenses; (c) Memores estis, fratres, laboris nostri et fatigationis : nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus invobis Evangelium Dei. Atque idem alio loco Apostolus : In labore et fatigacione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.

Quomodo in rapinas et furtu insurgendum.

XXVIII. Sed ut ab universo hoc genere nefariorum facinorum abhorreat fidelis populus, parochis a Prophetis petere, et a reliquis divinis libris sumere par erit detestationem furtorum et rapinarum, et horribiles minas a Deo propositas eis, qui illa scelera committunt. Clamat (d) Amos propheta : Audite hoc, qui conteritis pauperem et deficeris egenos terræ, dicentes: quando transibit mensis, et venundabimus merces, et sabbatum, et aperiemus frumentum, ut immixnuamus mensuram et augeamus siculum, et supponamus stateras dolosas? Sunt in eadem senten-

(a) 1 Thess. 4, 11. — (b) Eph. 4, 28. — (c) 1 Thess. 2, 9.
(d) Amos. 8, 4, 5.

tia multa apud (a) Jeremiam, in (b) Proverbiis et apud (c) Ecclesiasticum.

Nota. Nec vero dubitandum est quin haec malorum semina, quibus malis opprimitur haec ætas, magna ex parte in his inclusa sint causas.

Ad liberalitatem ut exhortandum.

XXIX. Verum ut assuecant christiani homines prosequi omni liberalitatis ac benignitatis officio egentes et mendicos, quod ad alteram hujus præcepti partem pertinet; proferent parochi maxima premia, quæ beneficis et largis, et in hac et in altera vita daturum se Deus pollicetur.

Furti aut rapinz nulla excusatio.

XXX. Sed quia non desunt qui etiam se in furta excusent, admonendti sunt, fore ut nullam eorum peccati excusationem accipiat Deus, imo vero futurum, ut i la purgatione non modo non levetur peccatum, sed mirum in modum augeatur.

Inanis nobilium excusatio.

XXXI. Ecce nobilium hominum non ferenda deliciae, qui culpam extenuare sibi videntur, si se affirmarint, non cupiditate aut avaritia ad detrahendum alteri sua descendere, sed tuendæ causa amplitudinis familias et majorum suorum, quorum existimatio ac dignitas rueret, nisi rerum alienarum accessione fulciretur.

Nobiles ut a rapinis avertendi.

XXXII. Quibus perniciosus error eripiens est, simulque demonstrandum unam esse rationem conservandi et amplificandi copias et opes, maioresque gloriam, si Dei voluntati paruerint, si ejus præcepta servarint: quibus contemptis, fun-

(a) Jer. 5, 21 et 22. — (b) Prov. 21. — (c) Eccl. 10.

datæ et optimæ constitutæ opes evertuntur : reges ex regio solio et summo gradu honoris præcipites exturbantur ; in quorum locum infimi interdum homines, et qui summo in odio illis fuerunt, divinitus vocantur. Incredibile est, quantopere his succenseat Deus, cuius rei testis est Isaías, apud quem sunt illa Dei verba : (a) Principes tui, infideles, socii furum ; omnes diligunt munera, sequuntur retributio[n]es : propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Israel : Eheu ! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis ; et convertam manum meam ad te et excoquam ad purum scoriam tuam. *Vide Trident. sess. 22, decret. de Reform. c. 11. Item Conc. Aurel. 3, c. 15, 22. Paris, 1, c. 1. Turon. 2, c. 25. Aurel. 5, c. 15. Mogunt. c. 6, 41. Worm. c. 75. Aquisgr. c. 88. Vide et in 1,2, quæst. variis in capit.*

Inanis alia nobilium excusatio.

XXXIII. Non desunt, qui non **jam** illam afferant causam splendoris et gloriæ, sed **victus** et **vita** commodiorem facultatem et **elegantiam**; qui refellendi sunt docendique quam impia sit eorum et actio et oratio, qui ullam **commoditatem** anterferant Dei voluntati et gloriæ, quam, negligendo ejus præcepta, offendimus mirandum in modum.

Nota. Etsi quæ potest esse in **fурto** commoditas, quot summa incommoda consequantur ? Super furem enim inquit Ecclesiasticus : (b) Est confusio et penitentia.

Fur quam Deo injurious.

XXXIV. Sed fac esse, ut cum illis non agatur incommodo, dedecorat fur **divinum** nomen, repu-

(a) Isa. 1, 23 et d. — (b) Eccli. 5, 17.

gnat ejus sanctissimæ voluntati, salutaria ipsius præcepta contemnit, quo ex fonte omnis error, omnis improbitas, omnis fluit impietas.

Pestifera aliorum excusatio.

XXXV. Quid quod audire licet interdum fures qui nihil se eo peccare contendant, quod detrahit aliquid locupletibus et copiosis hominibus, qui ea detractione nihil damni faciant, ne sentiant quidem; misera sane et pestifera defensio.

Alia damanda excusatio.

XXXVI. Putat alius satisfactionem suam accepi debere, quod eam furandi consuetudinem cepit, ut non facile possit ab illa mente et actione desistere qui nisi audierit Apostolum dicentem : (a) Qui furabatur, jam non feretur, velit, nolit, etiam consuetudinem capiet æternorum suppli- ciiorum.

Turpissima aliorum excusatio.

XXXVII. Nonnulli sunt qui excusant se, occasione data, alteri aliquid ademisse, est enim illud tritum sermone proverbium : Fures qui non sint, fieri occasione; qui haec ratione sunt de nefaria sententia deducendi, resistendum esse pravis cupiditatibus. Nam si continuo est re perficiendum id, quod libido persuaserit, quis modus, quis finis erit scelerum ac flagitorum ? Turpissima igitur est illa defensio, vel summae potius intemperantiae et injustitiae confessio.

Nota. Nam qui dicit se non ideo peccare, quia nullam habet peccandi occasionem, idem prope- modum fatetur se semper obliata occasione pec- caturum.

(a) Eph. 4, 28.

Vana alia excusatio.

XXXVIII. Sunt qui furari se dicant ulciscendi causa, quod ab aliis eadem injuria sint affecti; quibus ita respondendum est: primum nemini licere injurias persequi, deinde non posse quemquam rei sua judicem esse; tum multo minus concedi, ut poenas ab aliis repeatant eorum quae alii in eum peccaverunt.

Insana alia excusatio.

XXXIX. Postremo quidam furtum satis illa ratione defensum tectumque arbitrantur, quod cum sint aere alieno oppressi, altero eo liberari non possint, nisi illud furto dissolvant, quibuscum ita agendum est, nullum esse gravius aet alienum, et quo magis prematur humanum genus, quam debitum illud, cuius in divina preicatione quotidie meminimus: (a) Dimitte nobis debita nostra; quare illud insanissimi hominis esse, plus velle leo debere, id est, plus peccare, ut quod debet hominibus dissolvat; multoque prestare conjici in carcerem, quam mandari supplicis inferorum sempiternis: longe etiam esse gravius Dei quam hominum iudicio condemnari: porro autem supplices ipsos ad Dei opem ac pietatem confugere debere, a quo, quid opus sit, possint impetrare.

Nota. Sunt alia excusationum genera, quibus parochi prudentes ac sui officii diligentissimi, facile poterunt occurrere, ut aliquando habeant populum (b) sectatorem bonorum operum.

(a) Matth. 6, 12. — (b) Tit. 2, 14.

DE OCTAVO PRÆCEPTO DECALOGI.

NON LOQUERIS CONTRA PROXIMUM TUUM FALSUM TESTIMONIUM.

Hujus præcepti frequens explicatio necessaria.

I. Quantam non modo utilitatem, sed etiam necessitatem habeat assidua hujus præcepti explicatio et officii admonitio, nos divi Jacobi monet auctoritas illis verbis: (a) Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: et idem: Lingua modicum quidem membrum est et magna exaltat: ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit, et que sequuntur in eamdem sententiam.

Lingua vitium late patens.

II. Quibus duo monemur, primum latissime patere hoc lingua vitium: quod etiam illa prophetæ sententia confirmatur: (b) Omnis homo mendax; ut propemodum sit unum hoc peccatum, quod ad omnes homines pertinere videatur.

Lingua malorum innumerabilium instrumentum.

III. Alterum, inde profisci mala innumerabilia, cum saepè maledici hominis culpa facultates, fama, vita, animae salus amittatur, vel ejus qui leditur, quod contumelias patienter ferre non possit, sed eas impotenti animo persequatur: vel ejus qui ledit, quod pravo pudore, et falsa cuiusdam existimationis opinione deterritus adducit non possit, ut illi qui offensus sit satisficiat.

(a) Jac. 3, 2. — (b) Ps. 115, 11.